DE LUSCINIA

QUAE EST APUD VETERES

Scripsit
Georgius Schmid
Dr. ph.

E Comment. Ministerii Instr. Publ.

Petropoli
MDCCCCIIII
Lipsiae vendit G. Fock
(Buchhandlung G. Fock G. m. b. H.).

Извлечено изъ Журнала Министерства Народнаго Просвѣщенія 1904 г.

С.-ПЕТЕРБУРГЪ
СЕНАТСКАЯ ТИПОГРАФІЯ
1904.

'Αηδών avis, quae ab Aristotele non semel commemoratur, non est dubium quin eadem sit, quam Romani lusciniam appellant. Hoc nomen receperunt, qui rerum naturam ad artem et praecepta revocarunt, duasque distinguunt species, alteram alii lusciolam vel Sylviam lusciniam, alii lusciniam Philomelam appellant, alteram lusciolam vel Sylviam Philomelam vel lusciniam maiorem. Quam illius esse simillimam A. Brehm dicit, sed paullo maiorem atque ampliorem eiusque cantum differre ab illa gravioribus sonis, eundem lentiorem esse et longioribus intervallis interruptum, vocem maiorem modulosque minus varios. Quae cum ita sint, alteram speciem ab altera saepe non distingui non est mirum. Etiamnunc a Graecis luscinias ἀεδόνι vocari Aubert et Wimmer dicunt in Aristotelis An. Hist. editione, Vol. I p. 84, easque et vocis modulatione et gravitate longe antecellere eis, quae in Germania sint, Fr. de Loeher testatur in libro qui inscribitur Griechische Kuestenfahrten, Lipsiae emisso a. MDCCCLXXVI p. 76.

Haec avicula cantu suo tam insignis non apud Aristotelem solum commemoratur, sed apud alios quoque, praesertim apud poetas. Est autem primum apud *Homerum*, qui Odysseae l. XVIIII v. 518 sqq. Penelopam inducit haec dicentem:

ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη, χλωρηὶς ἀηδὼν
καλὸν ἀείδησιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,
δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,
ἥ τε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν
παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ
κτεῖνε δι' ἀφραδίας, κοῦρον Ζήθοιο ἄνακτος.

Atque sunt quidem qui negent hanc ἀηδόνα eandem esse quae apud Aristotelem est, ut Buchholz, cuius longa de hac re est disputatio Vol. I p. 2 p. 123 sqq. At omnem dubitationem tollit unum nomen filii Phi-

lomelae Ityli; neque enim dubium esse potest quin haec sit onomatopoeia Graecique, cum in cantu lusciniae sonus potissimum iu vel io ad aures eorum acciderit, inde nomen Ἴτυος vel Ἰτύλου totamque de occiso Philomelae filio finxerint fabulam. Hic enim sonus nullius avis nisi lusciniae videtur proprius esse. De qua re O. Keller disseruit in illo libro qui inscribitur Thiere des classischen Alterthums etc. Oeniponti foras dato a. MDCCCLXXXVII p. 317. Idem de luscinia disputat a p. 304 usque ad p. 320 et a p. 462 usque ad p. 468 omnes locos collegit, ubi haec avis apud veteres invenitur. Nuper de eadem re scripsit A. Pischinger commentario qui inscribitur Der Vogelgesang bei den griechischen Dichtern des klassischen Altertums, programmati Gymnasii Eichstaettensis a. MDCCCCI addito. Ego, ne longus sim, commemorabo hos locos. Aeschyli Agam. v. 1142 est Ἴτυν Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς ἀηδὼν βίον. Sophoclis El. v. 148 ἃ Ἴτυν αἰὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται, ὄρνις ἀτυζομένα, Διὸς ἄγγελος. Euripidis Phaethontis fragm. 773 v. 23 μέλπει δ' ἐν δένδρεσι λεπτὰν ἀηδὼν ἁρμονίαν ὀρθρευομένα γόοις Ἴτυν Ἴτυν πολύθρηνον. Aristophanis Av. v. 211 διὰ θείου στόματος θρηνεῖς τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν Ἴτυν. Ut autem e Graecis apud unum Homerum, ita e Romanis apud unum Catullum c. LXV v. 13 invenitur Itylus, apud Ovidium Metam. l. I v. 412, VI v. 652 et 658, Heroid. XV v. 153, Senecam Agam. v. 671 Ityn, nusquam geminatum.

Fingi autem illa fabula potuit non nisi ab eis, qui utriusque sexus luscinias canere arbitrabantur. Atque arbitratos hoc esse veteres testantur et Aristoteles, qui Anim. Hist. l. III c. 9 § 108 ἀηδὼν ᾄδει, inquit, καὶ ὁ ἄρρην καὶ ἡ θήλεια, πλὴν ἡ θήλεια παύεται ὅταν ἐπῳάζῃ καὶ τὰ νεόττια ἔχῃ, et Plinius, qui Nat. Hist. l. XI c. 51 § 268 'aliis (avibus)', inquit, 'eadem (vox) et feminis, ut lusciniarum generi'. Maiorne fuerit rerum naturae peritia in Phaedro et Seneca, cum apud utrumque legatur 'luscinius' (fab. l. III v. 18 et Epist. 75 § 9), an hi quidem ita sint intellegendi, ut dicere voluerint, non solum feminam, sed marem quoque canere, incertum. Nunc utique constat, unum marem canere, feminam tantum fritinnire.

Itaque quin Homerica ἀηδὼν luscinia sit, minime dubium est. Sed oritur quaestio, quid sit χλωρηίς. De qua re iam veteres grammatici dubitarunt. Est enim in scholiis ἤτοι ἐν χλωροῖς ὄρνεον διατρίβουσα (non dicit διατρῖβον)· ἤτοι ἅμα τοῖς χλωροῖς φαινομένη· ἔαρος γὰρ φαίνεται. ἢ διὰ τὸ χρῶμα. καὶ παρὰ Σιμωνίδην δὲ χλωραύχενες λέγονται αἱ ἀηδόνες. Eadem fere leguntur apud Apollonium Soph. Lex. Hom. ἀπὸ τοῦ χρώματος. ἢ διὰ τὸ ἐν χλωροῖς διάγειν. Incerti igitur erant, utrum ad lusciniae colo-

rem esset referendum an ad colorem foliorum, inter quae sedere solet. De qua re nunc quoque inter viros doctos ambigitur. Et Buchholz quidem summo hoc utitur argumento, quo demonstretur, χλωρηίδα non posse significare ἐν χλωροῖς διατρίβουσαν, quod si hoc ita se haberet, Homerus idem diceret, quod v. δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν. At mihi contra ea videtur. Neque enim tautologiam quam dicunt video et mihi persuasum est hic quoque inveniri illam consuetudinem Homeri fere propriam, qua quod una voce leviter significaverit, deinde uberius solet exponere, cuius consuetudinis—epexegeticen nunc grammatici vocant—exempla apud interpretes Homeri congesta invenies, ut apud La Roche ad Il. l. XV v. 238. Itaque mihi quidem χλωρηὶς videtur idem esse quod διατρίβουσα ἐν χλωρῷ vel ἐν χλωροῖς h. e. in flavescentibus primo vere et virescentibus arboribus, atque suspicor Sophoclem idem sensisse, cum in illis Coloni laudibus (v. 673) lusciniam dicat μινύρεσθαι χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις. Atque est naturae quam maxime accommodatum, quod Homerus eam ἔαρος νέον ἱσταμένοιο canere incipientem facit. Aristoteles enim dicit Anim. Hist. l. IX c. 49 § 255 ᾄδει συνεχῶς ἡμέρας καὶ νύκτας δεκαπέντε, ὅταν τὸ ὄρος δασύνηται, quae ita interpretatur Plinius Nat. Hist. l. X c. 29 § 81: 'densante se frondium germine'. Hoc quoque secundum naturam est, quod Homerus eam canere dicit δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένην πυκινοῖσιν, ut enim nunc physici dicunt occulta lusciniam amare fruticeta, ita iam veteres hoc observarunt, ut Euripides Hel. v. 1107 σὲ τὰν ἐναυλείοις ὑπὸ δενδροκόμοις μουσεῖα καὶ θάκους ἐνίζουσαν ἀναβοάσω, ut Aristophanes Av. v. 215, qui lusciniae, inquit, καθαρὰ χωρεῖ διὰ φυλλοκόμου σμίλακος ἠχὼ πρὸς Διὸς ἕδρας, ut Quintus Smyrnaeus Posthom. l. XII v. 489, ὡς δ' ὅτ' ἐρημαίην περιμύρεται ἀμφὶ καλιὴν πολλὰ μάλ' ἀχνυμένη κατὰ δάσκιον ἄγκος ἀηδών, ut Catullus c. LXV v. 13 'qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias', ut denique Vergilius Georg. l. III v. 511 'populea maerens philomela sub umbra' (quamquam bonus Vergilius de populis videtur errasse). Quod licet non unius lusciniae sit proprium, tamen memoria dignum est, esse oscines quasdam, quae in summis arborum ramis insidentes canere ament, ut eam, quae nunc aedon galactodes appellatur a physicis, cuius haec consuetudo adeo propria est, ut A. Brehm dicat rectius eandem agrobaten esse appellandam—acrobaten debebat dicere. Eandem ob causam non puto Euripidem Phoen. v. 1518, cum τίς ἄρ' ὄρνις ἢ δρυὸς ἢ ἐλάτας ἀκροκόμοις ἀμφὶ κλάδοις ἑζομένα μονομάτορος ὀδυρμοῖς ἐμοῖς ἄχεσι συνῳδός; dicat, spectare lusciniam, nedum Herc. fur. v. 1039 ὥς τις ὄρνις ἄπτερον καταστένων ὠδῖνα τέκνων et Troad. v. 829 οἷον δ' ὑπὲρ οἰωνὸς τεκέων βοᾷ, haec enim satis expli-

cantur Homerico exemplo Il. l. II v. 315 μήτηρ δ' ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη φίλα τέκνα.

De forma autem vocabuli χλωρηὶς monuerim inveniri satis similia, sicut ἀλσηίς h. e. ἐν ἄλσει ναίουσα apud Apollonium Rhodium Argon. l. I v. 1076 et IV v. 1149, sicut Ὑλληὶς πόλις vel γαίη l. I v. 535 et 560, sicut Καδμηὶς hymn. Hom. in Dionysum v. 57, Ἀγνηὶς in C. I. Gr. 3648 (quod est in Kaibelii quoque Del. epigr. p. 86, E. Hoffmanni Syll. epigr. Gr. p. 91).

Quod autem in Homero non videtur dignum fide, eum voci χλωρηὶς eandem subesse vim voluisse, quam voci χλωρά, hoc facile fieri potuit in Nicandro, qui cum Ther. v. 88 erucam quandam dicat ἐπὶ χλωρηίδα νώτῳ, manifesto eam χλωρὰν ἐπὶ τῷ νώτῳ, ut est apud scholiastam, in tergo viridem dicit. Sed χλωραύχενας ἀηδόνας Simonidis (fragm. 73 B.) et χλωραύχενα Δαϊάνειραν Bacchylidis (c. V v. 172 ed. Blass) aliter intellegendas putaverim. Cum enim apud Homerum Il. l. XV v. 4 sit χλωροὶ ὑπὸ δείους et ipse metus pallidus dicatur l. VII v. 479 χλωρὸν δέος, sicut apud Horatium l. I carm. 4 v. 13, Deianira dicitur pallido esse collo, luscinia autem pallido gutture; est enim inferior pars colli eius paene cana, sicut Aristoteles An. Hist. l. VIIII c. 13 § 82 de corvo vel garrulo glandario dicit τῶν πτερῶν τὸ ὑποκάτω χλωρόν et Plinius Nat. Hist. l. X c. 33 § 51 'avis pallido intus colore pennarum'.

Et quoniam de collo lusciniae mentio incidit, de luscinia ποικιλοδείρῳ quoque, quae est Hesiodi Opp. v. 203, pauca dicenda. Est enim huius verbi propria sententia; nam superior pars pectoris, inferior colli insignis est maculis, sicut in conchis quibusdam, 'muschelfleckige oberbrust' dicunt physici Germani, sicut Brehm, id quod in utraque specie lusciniarum apparet, sed magis expressum est in luscinia maiore. Itaque nulla correctione opus est, ne Ruhnkenii quidem ποικιλόγηρυς, quocum viri docti ποικιλόθροος, ποικιλόφωνος (sic luscinia appellatur in scholio ad Pindarum Ol. III v. 11), ποικιλῳδός (Sphinx Sophoclis Oed. Col. v. 130) comparaverunt, praesertim cum C. Flach, qui Ruhnkenii sententiam probat, ipse adferat e Nonni Dion. l. XXXXVII v. 31 αἰολόδειρος ἀηδών.

Sed ut ad Homericam lusciniam redeamus, haec dicitur θαμὰ τρωπῶσα χέειν πολυηχέα φωνήν. Et θαμὰ τρωπῶσα quidem quin ad varias vocis flexiones sit referendum, non est dubium. Ita Euripides Hec. v. 336 dicit πάσας ὥστ' ἀηδόνος στόμα φθογγὰς ἱεῖσα et Rhesi v. 535 ὑμνεῖ πολυχορδάτᾳ γήρυι ἁ παιδολέτωρ μελοποιὸς ἀηδονὶς μερίμνας, quos sonos quo modo Aristophanes voce exprimere conatus sit, infra videbimus. Addo ego quoque verba C. Plinii, quibus ieiunus ille auctor Naturalis Histo-

riae demonstrat, quanta cum admiratione cantum lusciniae observaverit, nullum ut sit in antiquitatis litteris alterum exemplum; cum enim Aristoteles l. VIIII c. 49 p. 255 nihil dicat nisi aestate lusciniam iam non emittere illam vocem παντοδαπὴν οὐδὲ τραχεῖαν καὶ ἐπιστρεφῆ, Plinius singula persequitur his verbis l. X c. 29 p. 81 'in una perfecta musica scientia modulatus editur sonus, et nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato, interdum et secum ipse murmurat, plenus, gravis, acutus, creber extentus, ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus. breviterque, omnia tam parvulis in faucibus, quae exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. ...ac ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus nec eidem omnibus, sed sui cuique'.

Χέει autem idem est quod συνεχῶς ᾄδει apud Aristotelem, quod ἀκόρετος βοᾶς apud Aeschylum Agam. v. 1142; nam ille continuus quatuordecim dierum cantus adeo proprius et est et visus est veteribus esse lusciniae, ut inde Hesiodum (fragm. 120 ed. Kink.) Aelianus V. Hist. l. XII c. 20 testis sit dixisse eam solam ex omnibus avibus ἀμοιρεῖν ὕπνου, et Sophocles Trach. v. 107 Deianiram ἀεί, οἷά τιν' ἄθλιον ὄρνιν i. e. lusciniam οὔποτ' εὐνάζειν ἀδακρύτων βλεφάρων πόθον, ἀλλά... ἐνθυμίοις εὐναῖς ἀνανδρώτοισι τρύχεσθαι dicat, unde ἀηδόνειος ille ὕπνος, qui apud Nicocharem fragm. 16 ed. Kock. legitur, ortus est. Πολυηχέα denique φωνὴν non esse πολλὰς μεταβολὰς ποιουμένην, ut est in scholiis, hoc enim idem esset atque θαμὰ τρωπῶσα, sed 'magnam vocem' apparet, sicut αἰγιαλὸς dicitur πολυηχής Il. l. IIII v. 422, πολύφλοισβος θάλασσα l. I v. 34 al., quod idem est quod ἠχήεσσα v. 157, πολύκλυστος πόντος Od. l. IIII v. 354 al., πολύφημος ἀγορή l. II v. 250, et ipsi Πολύφημος atque Πολυφήτης Il. l. XIII v. 791; sicut apud Apollonium Rhodium Argon. l. IIII v. 963 est πέτραι πολυήχεις, ita apud Accium fr. v. 571 ed. alt. Ribbeck. 'magna sonantibus saxis'. Ita Plinius miratur tantam vocem tam parvo esse in corpusculo, ita ille avium naturae investigator Naumann, tantam inesse vim in tam parvis gutturis nervis, ita Rossis hominibus in proverbio est, parvam quidem esse hanc aviculam, sed cum canere incipiat, silvam contremiscere.

A Simonide fr. 73 luscinias πολυκωτίλους appellari ob continuum cantum Meineke recte dicit ad Moschum vol. III 38 p. 440 et Com. Gr. fragm. vol. V p. CCV. Idem cum neget eas loquacitatis molestae exemplo esse posse, in Alexidis fragmento Thrasonis, quod est apud Athenaeum l. IIII p. 133 B (92 ed. Kock.)

σοῦ δ' ἐγὼ λαλιστέραν
οὐπώποτ' εἶδον οὔτε κερκώπην, γύναι,
οὐ κίτταν, οὐκ ἀηδόν', οὔτε τρυγόν', οὐ
τέττιγα

et in Libanii l. IIII p. 143 τρυγόνος λαλιστέρα, κίττης, ἀηδόνος, κερκώπης legendum esse censet χελιδόν' et χελιδόνος. At sicut κωτίλλειν non semper est moleste loquacem esse, cum αἱμύλα, μαλθακά, ἡδέα legatur apud Hesiodum Opp. v. 376, apud Theognidem v. 852, apud Phocylidem Athenaei l. X p. 428 B, ita ne garriendo quidem semper inest notio molesti. Illa enim Aristotelis de continuo lusciniae cantu verba Plinius sic convertit 'garrulus sine intermissu cantus'. Deinde Aristoteles An. Hist. l. I c. 1 § 16 animalia distribuit in κωτίλα et σιγηλά, l. IIII c. 9 § 107 dicit πολύφωνα δ' ἐστὶ καὶ λαλίστερα τὰ ἐλάττω τῶν μεγάλων (ὄρνεων), quod Plinius vertit Nat. Hist. l. XI c. 51 § 268 'avium loquaciores esse quae minores'. Martialis denique l. XIIII c. 75 'flet' inquit 'Philomela nefas incesti Tereos et quae muta puella fuit, garrula fertur avis'.

Addo, quamquam haec ad Homerum vix pertinent, Aristotelem putasse, lusciniam in Graecia hiemare, l. V enim c. 9 § 31 φωλεύει, inquit, ἀπὸ τοῦ μετοπώρου μέχρι τοῦ ἔαρος et l. VIIII c. 49 § 255 φαίνεται δ' οὐ πολὺν χρόνον· φωλεῖ γάρ. Neque equidem dubitaverim, quin Sophocles, qui El. v. 149 eandem dicit Διὸς ἄγγελον, eiusdem fuerit sententiae atque Aristoteles. Quocum consentit etiam Plinius Nat. Hist. l. X c. 9 § 85, qui 'hieme ipsa non cernitur' inquit neque in numero abeuntium avium eam recenset. Idem etiamnunc fieri testatur A. Lindermayer in libro qui inscribitur Die Vögel Griechenlands. Ein Beitrag zur Fauna dieses Landes, Passaviae foras dato a MDCCCLX p. 103. Sed Krueper, physicus non minus fide dignus, negat eam in Graecia perennem esse in catalogo avium A. Mommseni libro qui inscribitur Griechische Jahreszeiten fasc. 3 inserto p. 243. Ego hac in re Aristotelem errasse minus concesserim atque, si Krueper recte dicit eam initio mensis Aprilis solere adventare, mense Augusto abire, potius suspicor, aviculam eam, quam antiquis temporibus habebat, consuetudinem nunc mutasse.

Homeri de luscinia versus quin *auctor hymni* qui dicitur *in Pana* spectaverit, non est dubium. Dicit enim v. 16, ut est in libris manu scriptis,

οὐκ ἂν τόνδε (i. e. Pana) παραδράμοι ἐν μελέεσσιν
ὄρνις, ἥ τ' ἔαρος πολυανθέος ἐν πετάλοισιν
θρῆνον ἐπιπροχέουσα χέει μελίγηρυν ἀοιδήν.

Sed priusquam de his versibus disputemus, monendum, totum hoc carmen ita esse Homericum, ut centonem ex Homero recte appellaveris. Quod cum explanatores huius poetae adhuc videatur fugisse, non taedet me singula persequi. Itaque confer sodes

hymni v. 1 Ἑρμείαο φίλον γόνον ἔννεπε, Μοῦσα,
et Od. l. I v. 1 ἄνδρα μοι ἔννεπε, μοῦσα,
v. 2 πίση δενδρήεντα
et Il. l. XX v. 9 πίσεα ποιήεντα et Od. l. VIIII v. 200 ἄλσεϊ δενδρήεντι,
v. 3 ἄμυδις φοιτᾷ
et Il. l. XIII v. 343 ἐρχομένων ἄμυδις,
v. 4 κατ' αἰγίλιπος πέτρης.. κάρηνα
et Il. l. XVI v. 4 κ. αἰγ. π. et XX v. 58 ὀρέων αἰπεινὰ κάρηνα,
v. 6 ὃς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχεν
et Od. l. XVIIII v. 335 Κρήτης ὄρεα νιφόεντα et XI v. 304 τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσιν,
v. 7 καὶ κορυφὰς ὀρέων καὶ πετρήεντα κέλευθα
et Od. l. VIIII v. 121 κορυφὰς ὀρέων, III v. 117 ἰχθυόεντα κέλευθα,
v. 8 φοιτᾷ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα διὰ ῥωπήια πυκνὰ
et. Il. II v. 779 φοίτων ἔνθα καὶ ἔνθα, XXIII v. 122 διὰ ῥωπήια πυκνά (Od. l. XIIII v. 473 κατά),
v. 9 ῥείθροισιν ἐφελκόμενος
et Od. l. XVI v. 294 αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος,
v. 10 πέτρῃσιν ἐν ἠλιβάτοισιν
et Od. l. XIII v. 196 πέτραι δ' ἠλίβατοι,
v. 11 ἀκροτάτην κορυφὴν
et Il. l XIIII v. 228 ἀκροτάτας κορυφάς,
v. 12 ἀργινοεντα... οὔρεα μακρά
et Il. l. II v. 647 ἀργινόεντα Λύκαστον et l. XIII v. 18 τρέμε δ' οὔρεα μακρά,
v. 13 ἐν κνημοῖσι διήλασε θῆρας ἐναίρων
et Il. l. II v. 821 Ἴδης ἐν κνημοῖσι, XXI v. 485 θῆρας ἐναίρειν,
v. 14 ὀξέα δερκόμενος
et Il. l. II v. 222 ὀξέα κεκληγώς, III v. 342 δεινὸν δερκόμενοι,
v. 15 μοῦσαν ἀθύρων
et Il. l. XV v. 364 ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων,

v. 19 νύμφαι ὀρεστιάδες et Il. l. VI v. 420,
v. 20 ἐπὶ κρήνῃ μελανύδρῳ
et Od. l. XX v. 158 ἐπὶ κρήνην μελάνυδρον,
v. 21 μέλπονται· κορυφὴν δὲ περιστένει οὔρεος ἠχώ·
et Il. l. XVI v. 182 μετὰ μελπομένῃσιν ἐν χορῷ Ἀρτέμιδος,
Od. l. XXIII v. 146 τοῖσιν δὲ μέγα δῶμα περιστεναχίζετο ποσσίν,
v. 22 ἔνθα καὶ ἔνθα θορών, τοτὲ δ' ἐς μέσον ἕρπων
et Il. l. IIII v. 79 κὰδ δ' ἔθορ' ἐς μέσσον,
v. 23 λαῖφος δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινὸν
et Il. l. II v. 308 δράκων δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινός,
v. 25 ἐν μαλακῷ λειμῶνι, τόθι κρόκος ἠδ' ὑάκινθος,
et Od. l. V v. 72 ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοί,
Il. l. XIIII v. 348 ἰδὲ κρόκον ἠδ' ὑάκινθον,
v. 27 θεοὺς μάκαρας καὶ μακρὸν Ὄλυμπον
et Il. l. I v. 339 θεῶν μακάρων, v. 402 μακρὸν Ὄλυμπον,
v. 28 Ἑρμείην ἐριούνιον ἔξοχον ἄλλων
et. Il. l. XXIIII v. 679 Ἑ. ἐ., Od. l. V v. 118 ἔξοχον ἄλλων,
v. 29 θοὸς ἄγγελος
et Od. l. XV v. 526 ταχὺς ἄγγελος,
v. 30 Ἀρκαδίην πολυπίδακα, μητέρα μήλων
et Il. l. VIII v. 47 Ἴδην... πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν, II v. 696
Ἰτωνά τε, μητέρα μήλων,
v. 31 ἔνθα τέ οἱ τέμενος Κυλληνίου ἐστίν
et Il. l. VIII v. 48 Γάργαρον· ἔνθα τέ οἱ τέμενος βωμός τε,
v. 32, 33 μῆλ' ἐνόμευεν ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ
et Od. l. VIIII v. 217 ἐνόμευε... πίονα μῆλα et XI v. 490
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ,
v. 34 νύμφῃ εὐπλοκάμῳ Δρύοπος φιλότητι μιγῆναι
et Od. l. I v. 86 νύμφῃ εὐπλοκάμῳ, Il. l. VI v. 161 φιλότητι μιγήμεναι,
v. 35 ἐκ δ' ἐτέλεσσε γάμον θαλερόν, τέκε δ' ἐν μεγάροισιν
et Od. l. IIII v. 7 θεοὶ γάμον ἐξετέλειον, VI v. 66 θαλερὸν γάμον, XVI v. 120 μοῦνον ἔμ' ἐν μεγάροισι τεκών,
v. 36 ἄφαρ τερατωπὸν ἰδέσθαι
et Od. l. IIII v. 85 ἄφαρ κεραοὶ τελέθουσιν,
v. 38 φεῦγε δ' ἀναΐξασα, λίπεν δ' ἄρα παῖδα τιθήνη
et Od. l. XXII v. 240 ἕζετ' ἀναΐξασα, Il. l. VI v. 389 φέρει
δ' ἅμα παῖδα τιθήνη,

v. 39 ὡς ἴδεν ὄψιν ἀμείλιχον ἠυγένειον
et Il. XXIIII v. 632 εἰσορόων ὄψιν τ' ἀγαθήν,
Od. IIII v. 456 λέων... ἠυγένειος,
v. 40 τὸν δ' αἶψ' Ἑρμείας... ἐς χέρα θῆκεν δεξάμενος
et Il. l. VI v. 482 ἀλόχοιο φίλης ἐν χερσὶν ἔθηκεν παῖδ' ἑόν· ἡ δ' ἄρα μιν κηώδεϊ δέξατο κόλπῳ,
v. 41 χαῖρεν δὲ νόῳ περιώσια
et Od. l. VIII v. 78 χαῖρε νόῳ, XVI v. 203 θαυμάζειν περιώσιον,
v. 42 ῥίμφα δ' ἐς ἀθανάτων ἕδρας κίε
et Od. l. VI v. 42 ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ ἔμμεναι,
v. 43 δέρμασιν ἐν πυκινοῖσιν ὀρεσκῴοιο λαγωοῦ
et Od. l. II v. 291 δέρμασιν ἐν πυκινοῖσι, VIII v. 155 αἶγας ὀρεσκῴους,
v. 44 πὰρ δὲ Ζηνὶ κάθιζε καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν
et Il. l. IIII v. 1 οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι, II v. 49 Ζηνὶ φόως ἐρέουσα καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν,
v. 45 θυμὸν ἔτερφθεν
et Il. XXI v. 45 θυμὸν ἐτέρπετο,
v. 47 Πᾶνα δέ μιν καλέεσκον
et Il. l. VIIII v. 562 Ἀλκυόνην καλέεσκον.

Cum igitur auctor huius hymni per totum carmen Homeri verba in suum usum convertat, iam non veri simile, sed certum est, eum in eis quoque, quos initio exscripsimus, versibus non recedere ab Homero. Atque παραδράμοι dicit sicut hic Il. l. XXIII v. 636 πόδεσσι παρέδραμον, ἔαρος πολυανθέος sicut Od. l. XIIII v. 353 πολυανθέος ὕλης, ἐν πετάλοισι et χέει sicut l. XVIIII v. 521 et 522, μελίγηρυν ἀοιδήν sicut l. XII v. 187 μελίγηρυν ὄπα, sed ἐπιπροχέουσα quis putaverit eum dixisse, quod apud Homerum non est? Verum enim vero hoc esse mendum librarii, proximo verbo χέει in errorem inducti, manifestum est.

Itaque minus probanda videntur quae pro χέει proposuerunt homines docti, ut Ilgeni ἀχέει, A. Gemolli ἠχέει, Ruhnkeni ἰαχεῖ, Wolfii ἰάχει, sed in participio scribendo errasse librarium ratus propono

ἐπιτροπέουσα χέει,

cum poeta Homeri θαμὰ τρωπῶσα ante oculos habuisse videatur. Quamquam enim me non fugit, verbis ἐπιτροπέω et ἐπιτρωπάω aliam ceteris ubi legitur locis subesse vim—de illo disputavit Lobeck ad Phryn. p. 590,

hoc invenitur apud Apollonium Rhodium Argon. l. I v. 351 et apud Oppianum Halieut. l. II v. 223 et V v. 172, de τρόπεον, παρατροπέων, περιτροπέων, περιτροπέοντες autem A. Nauck egit in Actis Academiae Petropolitanae quae inscribuntur Mélanges Gréco-Romaines vol. IIII p. 589 sqq.—tamen tanta videtur necessitas agnoscere Homeri in hac quoque re imitationem, ut auctor hymni novasse vim huius verbi sit credendus.

Eadem ratio ad duos alios huius hymni locos pertinet.

Est enim v. 14

τότε δ' ἕσπερος ἔκλαγεν οἶος,

neque dubito, quin G. Hermann recte restituerit οἶος. Sed quamquam ἕσπερος non redolet Homerum, qui ἑσπέριος dicit Od. l. VIIII v. 336, tamen eo magis οἶος ex Homerico more intellegendum esse censeo, atque ea quidem sententia, quam Homerus huic vocabulo subesse vult Il. l. XXIIII v. 499 ὃς δέ μοι οἶος ἔην i. e. ἔξοχος ἄλλων.

Versu denique 33 legitur in libris manu scriptis

θάλε γὰρ πόθος ὑγρὸς ἐπελθών,

atque sicut ἐπελθὼν ad exemplum Homeri dicitur Od. l. V v. 472 ὕπνος ἐπέλθῃ, l. XI v. 200 νοῦσος ἐπήλυθεν, ita priore quoque verbo imitationem Homeri contineri veri simile est. Legimus autem cum ἵμερος ᾕρει Od. l. XXII v. 500, ἕλοι πόθος l. IIII v. 596, πόθος αἴνυται l. XIIII v. 144, ποθὴ ἵξεται Il. l. I v. 240, tum πένθεϊ, ἄχεϊ βεβολημένος Il. l. VIIII v. 3 et 9, Od. l. X v. 247; itaque scripsisse puto poetam

βάλε γὰρ πόθος.

Sophocles ὁ Ὁμηρικώτατος in Oedipode Coloneo celebrat

τὸν ἀργῆτα Κολωνόν, ἔνθ'
ἁ λίγεια μινύρεται
θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν
χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις,
τὸν οἰνῶπ' ἀνέχουσα κισσὸν
καὶ τὰν ἄβατον θεοῦ
φυλλάδα μυριόκαρπον ἀνάλιον
ἀνήνεμόν τε πάντων
χειμώνων· ἵν' ὁ βακχιώτας
ἀεὶ Διόνυσος ἐμβατεύει
θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις.

Suo igitur more Homerum imitatur: huius πολυηχέα φωνὴν et ὀλοφύρεται Sophocles reddit ita, ut dicat λίγεια μινύρεται, quod autem uno vocabulo χλωρηΐς continetur, pluribus exponit, cum dicit χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις i. e. sub viridi fronde in campis vel locis demissis. Ita Parthenius in libello π. ἐρωτ. παθ. c. 11 dicit κλαῖεν ἀηδονίδων θαμινώτερον, αἵτ' ἐνὶ βήσσῃς Σιδονίῳ κούρῳ πέρι μυρίον αἰάζουσιν. Quae loca re vera incolit illa, de qua supra diximus, luscinia maior adeoque hoc est eius proprium, ut inde viri docti nomen eidem indiderint lusciniae campestris s. pratensis, sicut est apud A. Brehmium.

Quae si recte sunt disputata, ultro oritur suspicio etiam illud μάλιστα θαμίζουσα referendum esse ad Homeri verba θαμὰ τρωπῶσα. Plerumque enim verbo θαμίζειν subest eadem vis quae latino 'frequenter venire', ut Hom. Il. l. XVIII v. 386. 425, Od. V v. 88 πάρος γε μὲν οὔ τι θαμίζεις, l. VIII v. 161 ἅμα νηὶ θαμίζων, atque ita apud Xenophontem additur eidem ἐπί τινα Cyrop. l. VII c. 3 § 2, apud Platonem De Republ. l. I p. 328 ἡμῖν, Hipp. mai. p. 281 B εἰς τόπους, apud Apollonium Rhod. l. II v. 451 κεῖσε. Itaque Wunder et Wecklein putant Sophoclem dicere, creberrime frequentantium lusciniarum cantu personare lucum. At minus esse veri simile, luscinias dici frequenter adire hunc lucum, cum in hoc ipso degant, quis est quin videat? Videlicet cum v. 17 Sophocles dicat πυκνόπτεροι δ' εἴσω κατ' αὐτὸν εὐστομοῦσ' ἀηδόνες, πυκνόπτεροι, cum Aristoteles auctor sit Anim. Hist. l. I c. 1 p. 3 τῶν ζῴων τὰ μὲν πολύπτερα, τὰ δὲ ὀλιγόπτερα εἶναι, ad verbum intellegendum est neque comprobanda Schneidewini et Nauckii sententia, qui Dindorfium secuti hoc vocabulum ut ἑκατομπόδων v. 718 ita explicant, ut paene idem sit quod πυκναί, 'frequentes'; hoc enim comprobaremus, si non diceret εὐστομοῦσι, sed πέτονται vel simile aliquid. Alia vis est vocabuli θαμίζειν Nicandri Alexipharm. v. 578, ubi genus quoddam ranarum dicitur ἐν δονάκεσσι θαμίζειν i. e. crebrum esse, quod, sicut est v. 568, ποτὶ θάμνοις εἴαρι προσφύεται. Sed uno hoc loco haec est huius vocabuli vis; quod enim Empedoclem Plutarchus tradit dicere σοφίης ἐπ' ἄκροισι θαμίζειν (fragm. 4 ed. Dielsii p. 107, Plut. de mult. amic. c. 1, ed. Moralium Bernardakis I p. 225) videtur errare, nam θοάζειν, quod Sextus Empir. l. VII c. 121 et Proclus in Tim. p. 106 habent, ab omnibus comprobatur. Itaque ne hanc quidem apud Sophoclem ei subesse vim crediderim neque idem esse quod crebro uti aliquo, sicut Soph. fr. 462 ed. N., ad quod referunt Hesychii θαμίζεται· ὁμιλεῖ. Veri igitur similius mihi videtur Sophoclem h. l. vocabulo θαμίζειν ita uti, ut Homericum θαμὰ τρωπῶσα exprimat.

Deinde ab eodem luscinia dicitur μινύρεσθαι τὸν οἰνῶπ' ἀνέχουσα κισσὸν καὶ τὴν ἄβατον θεοῦ φυλλάδα μυριόκαρπον h. e. ἄμπελον ἀγρίαν. Sed hoc ipsum paene incredibile est Sophoclem dixisse. Quod enim scholiastae dicunt ἀνέχουσα· ἄνω ἔχουσα, ὑπὲρ ἑαυτὴν ἔχουσα τὸ φυτὸν καὶ ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τὸ ἀνέχουσα, ὡς ἐν Λυκούργῳ Αἰσχύλος· ἄκουε δ' ἀν' οὖς ἔχων, ἀντὶ τοῦ ἄνω τὸ οὖς ἔχων (quod fragm. 126 est ed. Nauck), sicut alii eius generis loci, Theogn. v. 887 μηδὲ λίην κήρυκος ἀν' οὖς ἔχε, Homeri Od. l. XVII v. 291 ἂν δὲ κύων κεφαλήν τε καὶ οὔατα κείμενος ἔσχεν, aliam esse rei rationem facile demonstrant, cum ἀνὰ tmesi a verbo seiunctum pristinam adverbii vim facilius potuerit retinere. Sed licet hoc sine tmesi fieri posse concedamus, nonne difficile est ad credendum, a Sophocle luscinias dici folia eis imposita sustinere, inde occultari et latere? Sic enim Fr. Ellendt interpretatur illud ἀνέχουσα. Mihi quidem difficultas maior vel inde videtur oriri, quod cum vix intellegamus dici posse lusciniam ἄνω ἔχειν τὸν κισσόν, eandem ἀνέχειν τὰν ἄβατον θεοῦ φυλλάδα μυριόκαρπον ἀνάλιον ἀνήνεμόν τε πάντων χειμώνων dici iam paene incredibile videtur. Quae cum ita sint, equidem non video aliud fieri posse nisi aut comprobare G. Dindorfi coniecturam satis elegantem οἰνῶπα νέμουσα vel Erfurdti οἰνωπὸν ἔχουσα, cum in codd. Par. B et Vat. sit οἰνώπαν ἔχουσα, aut gravius hunc locum esse corruptum suspicari et acriore remedio uti. Atque quid potuit facilius fieri, quam ut librarius, cui luscinia in mente versaretur, ad eandem referendum hoc quoque verbum putaret, deberet scribere ἀνέχοντα? Scilicet hoc si comprobaveris, iam non desiderabis Sophocleam illam concinnitatem, qua dixit τὸν Κολωνόν, ἔνθα μινύρεται ἀηδών, τὸν ἀνέχοντα κισσὸν καὶ τὴν φυλλάδα, ἵν' ὁ βακχιώτας Διόνυσος ἐμβατεύει. Nam simili modo Euripides Hec. v. 458 dicit φοῖνιξ δάφνα θ' ἱεροὺς ἀνέσχε πτόρθους. An cum ad φυλλάδα recte in scholiis sit adnotatum παρὰ τὸ Ὁμηρικόν· τὴν μὲν ἄρ' οὔτ' ἀνέμων διάει μένος κτλ. ex Od. l. XVIIII v. 440, hoc quoque loco poetam Ὁμηρικώτατον Il. l. XIIII v. 347, ubi est τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φύεν νεοθηλέα ποίην memorem φύοντα scripsisse ineptum videbitur suspicari? Quid autem sit οἰνωπός, Aristotelis qui fertur libellus de coloribus docet; cap. enim 2 par. 10 legitur τὸ οἰνωπὸν χρῶμα γίγνεται, ὅταν ἀκράτῳ μέλανι καὶ στίλβοντι κραθῶσιν αὐγαὶ ἠεροειδεῖς· ὥσπερ αἱ τῶν βοτρύων ῥᾶγες. καὶ γὰρ τούτων οἰνωπὸν φαίνεται τὸ χρῶμα ἐν τῷ πεπαίνεσθαι· μελαινομένων δὲ τὸ φοινικοῦν εἰς τὸ ἀλουργὸν μεταβάλλει. Deinde φυλλὰς μυριόκαρπος θεοῦ, ut v. 18, folia sunt ἀμπέλου ἀγρίας, quam ubique in saltibus, ripis, humidis locis crescere C. Fraas dicit in Synopsi plantarum florae classicae p. 95. Dioscorides Mat. Med. l. IIII c. 180 auctor est hanc vitem viniferam

silvestrem φύλλα, ὅμοια στρύχνῳ κηπαίῳ (solano hortensi), πλατύτερα δὲ καὶ μικρότερα, καρπὸν δὲ ἔχειν βοτρυδίοις μικροῖς ὅμοιον, πεπαινόμενον ἐρυθρόν.

Cum autem de plantis sermo inciderit, de narcisso quoque et croco pauca dicamus, qui v. 681 θάλλειν οὐρανίας ὑπ' ἄχνας dicuntur. Hoc enim ideo dici arbitrantur Schneidewin et Nauck, quod utraque planta in rupibus nascatur. Neque vero hoc equidem ita se habere usquam inveni. Variae enim floris narcissi sunt species; quarum una est narcissus qui nunc vocatur serotinus, altera qui poeticus. Hanc Dioscorides spectat Mat. med. l. IIII c. 158, cum φύεται, inquit, ὁ κάλλιστος νάρκισσος ἐν ὀρεινοῖς τόποις, εὐώδης, deinde florem eius appellat πορφυροειδῆ, cum idem sit candidus, calyx herbaceus, sicut recte est apud Plinium Nat. Hist. l. XXI c. 5 p. 21; omisit, calycem purpureo margine angusto ornatum esse, quam ob causam Vergilius Ecl. V v. 38 purpureum eum appellat. Atque hunc esse eundem qui nunc poeticus nuncupatur, probant viri docti huius rei periti, sicut F. W. Burbidge et I. G. Baker, homines Angli, in libro qui inscribitur The Narcissus: its history and culture, Londini a. MDCCCLXXV emisso, pulcherrimis imaginibus ornato, p. 55; haud rarum eundem esse in montibus mediae altitudinis, quae mavrobuna nunc a Graecis dicantur, C. Fraas in Synopsi illa p. 285 testatur, sed Th. de Heldreich in libello de plantis quae in Attica planitie gignuntur, A. Mommseni libro de Horis Graecis inserto (fasc. V) eum non recepit in indicem plantarum in collibus et clivis quae nunc ξηροβούνια vocantur, sub umbra φρυγάνων h. e. fruticetorum parvorum nascentium, qui est a p. 534 usque ad p. 537, cum eorum locorum minus eum proprium esse videatur existimasse. Narcissum autem serotinum, quem Vergilius Georg. l. IIII v. 122 dicit sera comantem, et narcissum quem nunc tazettam vel Hermionen tazettam vocant, idem p. 525 ait esse in numero plantarum, quae eorum locorum, quae nunc ἀλίπεδα dicantur, umidorum et demissorum propriae sint. Itaque narcissum tazettam, quae nunc a Graecis τουμπάκια vocetur, C. Fraas p. 286 a Sophocle dici existimat. Confirmatur hoc adiectivo καλλίβοτρυς, nam in narcisso poetico unus flos est cauli insidens, in narcisso tazetta multi sicut uvarum bacae compositi; hymn. in Cererem v. 12 τοῦ καὶ ἀπὸ ῥίζης ἑκατὸν κάρη ἐξεπεφύκει, Ovid. Met. l. III v. 509 croceum... florem, foliis medium cingentibus albis. V. C. Sprengeli librum qui inscribitur Theophrast's Naturgeschichte der Gewächse übersetzt und erläutert II vol. p. 242. Idem sentit A. Boetticher, qui illa ipsa loca quae circum collem Coloneum sunt, libro quem infra dicemus p. 195 hoc modo describit, ut dicat, anemonas purpureas et albas, ranunculos et narcissos tazettas, varia

iridum genera ibi efflorescere e tenui quasi tela mentae piperitae, prope aequabiliter totum luci solum tegente, una cum mille aliis floribus totam silvam suavissimis odoribus implente. Sicut autem narcissum tazettam Th. de Heldreich negat in numero earum esse plantarum, quae in rupibus nascantur, quas p. 545 recenset, ita ne crocum quidem sativum, quem p. 536 eis adnumerat, quae in collibus sunt. Florere autem tres de quibus agitur plantas in Calendario quod vocat Florae Atticae ab exitu usque mensis Octobris, narcissum serotinum et narcissum tazettam (quae plantae n. 1009 et 1010 sunt notatae) usque ad medium mensem Novembrem, crocum (n. 1025) usque ad medium Decembrem. Theophrastus autem auctor est l. VI c. 8 primum florere λευκόιον, Matthiolam incanam, deinde φλόγιον τὸ ἄγριον Silenen vespertinam, post id νάρκισσον καὶ λείριον. Denique οὐρανία ἄχνη explicatur Homerico versu qui est Od. l. XIII 245 ἀεὶ δ' ὄμβρος ἔχει τεθαλυῖά τ' ἐέρση coll. Il. l. XIIII v. 351 ἀπέπιπτον ἔερσαι.

Addere liceat, St. Fellnerum in libello de floribus Homericis, Viennae foras dato, p. 52, cum lilium album nusquam sponte crescat, λείριον, ad quod refertur Homericum λειριόεις Il. l. III v. 152 et XIII v. 830, eundem esse florem atque narcissum arbitrari. Dignum autem memoratu, hoc iam apud veteres inveniri; legitur enim apud Dioscoridem de mat. med. l. IIII c. 158 (ed. Sprengel.) ἔνιοι τοῦτον (τὸν νάρκισσον) λείριον ἐκάλεσαν, et in Erotiani vocum Hippocraticarum conlectione (rec. I. Klein. p. 94) Νίγρος ἐν τῷ περὶ ὕλης φησὶ καὶ τὸν νάρκισσον παρ' ἐνίοις λείριον καλεῖσθαι.

In *Aristophanis* Avibus luscinia uxor est ἔποπος. Quod nomen huic inditum esse a voce 'hup', quam ad coitum ciens feminam vel de eadem cum alio mare contendens perpetuo edit, physici dicunt. Idque cum ad alios populos, tum ad Graecos recte referri ipse Aristophanes docet. Hic enim cum Av. v. 57 Euelpides puerum, ut ianuam upupae aperiat, clamaverit, Pithetaerum inducit eum increpantem, quod παῖ, non ἐποποῖ dixerit; qui cum illi obsecutus sit, servus intellegit, τὸν δεσπότην vocari. Neque vero consentire solent viri docti de appellatione huius avis Germanica; dicunt enim eam a Wiede et hüpfen i. e. a silva et saliendo esse repetendam. At cum A. Brehm auctor sit upupam bene incedere et gradatim neque salire, veri similius duxerim, Germanos illud huic avi nomen indidisse, cum in silvis illam vocem edat. Ut enim in Germania eam illa loca, ubi campis et pratis silvulae intermixtae sint, amare A. Brehm dicit, ita in Graecia montes et silvas Aristoteles Anim.

Hist. l. VIIII c. 11 p. 75 ἔνιοι δὲ τῶν ὀρνίθων ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ τῇ ὕλῃ οἰκοῦσιν οἷον ἔποψ, l. I autem c. 1 p. 16 eum ὄρειον appellat.

Aeschyli quoque in fragmento 304 ed. Nauckii, quod est apud Aristotelem l. VIIII p. 259, upupa πετραῖος ὄρνις appellatur. Legitur enim

τοῦτον δ' ἐπόπτην ἔποπα τῶν αὑτοῦ κακῶν
πεποικίλωκε κἀποδηλώσας ἔχει
θρασὺν πετραῖον ὄρνιν ἐν παντευχίᾳ·
ὃς ἦρι μὲν φανέντι διαπαλεῖ πτερὸν
κίρκου λεπάργου· δύο γὰρ οὖν μορφὰς φανεῖ
παιδός τε χαὐτοῦ νηδύος μιᾶς ἄπο·
νέας δ' ὀπώρας ἡνίκ' ἐξανθῇ στάχυς,
στικτή νιν αὖθις ἀμφινωμήσει πτέρυξ.
ἀεὶ δὲ μίσει τῶνδ' ἀπ' ἄλλον εἰς τόπον
δρυμοὺς ἐρήμους καὶ πάγους ἀποικιεῖ.

Qui versus utrum Aeschyli an Sophoclis sint, diiudicare equidem non ausim, cum F. G. Welcker in illo libro De Graecis tragoediis secundum cyclum epicum dispositis hoc potissimum argumento nisus, quod a scholiasta ad v. 280 Avium Sophocles dicatur πρῶτον τὸν Τηρέα ποιῆσαι, eosdem e Tereo, Sophoclea fabula, sumptos et vel Aristotelem ipsum vel librarium errasse existimet (p. 384). Eiusdem sententiam sequitur E. Oder, qui in Museo quod dicitur Rhenano vol. XXXXIII a. MDCCCLXXXVIII foras dato p. 541 sqq. de upupa qualis esset in Graecorum fabulis, doctissime egit, quam commentationem mea iam paene absoluta factum est ut inspicerem. Sed quod Welcker ait pronuntiare videri illos versus Mercurium, veri simillimum est idque, credo, in fine dramatis, ut de uno Tereo ob facinora sua humana natura exuto sermo fuisse videatur, non de Procne eiusque sorore. Primum igitur poeta demonstrat, quam apte Tereus in upupam sit a deo quodam, Iove scilicet, mutatus, cum Aeschylus Agam. v. 1101 universe deos dicat lusciniae induisse πτεροφόρον δέμας, nam nomen ἔποπος significare perpetuum contemplatorem facinorum ab ipso perpetratorum. Non raro enim Aeschylus quoque suo more interpretatur nomina propria, velut Agam. v. 665 Helenae, v. 1034 Apollinis, Prom. v. 85 Promethei, Sept. v. 641 Polynicis, Suppl. v. 46 Epaphi, multaque eius rei e poetis tragicis exempla collegit Elmsley ad Eur. Bacch. v. 508. Deinde apta dicitur illa mutatio, quod et forma et moribus upupa Tereum aequiperet, quem Aristophanes Lys. v. 563 πέλτην σείειν ait κἀκόντιον, appellari enim θρασὺν, quod, ut

scholiasta dicit, ἐδίωκεν αὐτὰς ξίφει, ob eamque rem gerere παντευχίαν, sic enim tragicus poeta verbis in maius extollit aviculae cristam, sicut comicus uno λόφῳ non contentus Av. v. 94 τριλοφίαν dicit; Ovidius Met. l. VI v. 674 de facie armata loquitur. Tum crudelitate quoque Tereo non esse inferiorem upupam dicit, quod haec vere similis sit κίρκου λεπάργου, accipitris, quem σμικρῇσι φόνον φέρειν ὀρνίθεσσιν Homerus auctor est Il. l. XVII v. 757. Formam autem pennasque cum upupa dicitur mutare, id quod non fieri in natura rerum compertum est, haec fabula inde potuit oriri, quod pullos upupae initio speciem quandam adultorum minime referre, sed canis plumis vestiri physici dicunt, sicut pullos accipitrum. Atque illas quidem δύο μορφὰς poeta novit; fabula autem illa utitur, cum demonstrare velit, hac quoque in re upupam esse similem Terei, qui qua erat inconstantia atque mobilitate animi, fidem non servavit uxori, sed in amorem sororis eius effusus est. Odio denique in utramque summo exarsisse dicitur; duos enim ultimos versus explanandos esse existimo his, quae refert Aelianus De Nat. An. l. III c. 26: οἱ ἔποπές εἰσιν ὀρνίθων ἀπηνέστατοι καί μοι δοκοῦσι τῶν προτέρων τῶν ἀνθρωπικῶν ἐν μνήμῃ καὶ μέντοι καὶ μίσει τοῦ γένους τοῦ τῶν γυναικῶν ὑποπλέκειν τὰς καλιὰς ἐν ταῖς ἐρήμοις καὶ τοῖς πάγοις τοῖς ὑψηλοῖς. Cum enim ultima Aeliani verba tam prope accedant ad illum tragicum poetam, ut vix sit quod neges, illum eiusdem fuisse memorem, μίσει τῶνδε quoque hunc in modum explanandum videtur, ut τῶνδε referatur ad Procnen et Philomelam, quae in scena adesse putandae sunt, praesertim cum minime sit veri simile, potuisse poetam dicere τῶνδε ἄπο i. e. 'procul his locis'. Neque magis veri simile est eum dixisse ἄλλον εἰς τόπον sine verbo abeundi; ἀποικιεῖ enim est 'incolet'. Cum autem in libris manu scriptis sit ἀπάλλου, ἀσπάλλον, ἀπαλῶν, crediderim legendum esse

ἀεὶ δὲ μίσει τῶνδ' ἐπαλλάσσων τόπον,

i. e. odio harum mutans locum querceta s. silvas montesque incolet.

Memoratu dignum, Achillem quoque Tatium l. V c. 5 p. 9 de odio Terei loqui. In illa enim tabula picta, in qua ἀηδὼν καὶ χελιδὼν καὶ ἔποψ· πάντες ἄνθρωποι καὶ πάντες ὄρνιθες, Tereus, inquit, gladium stringit et in feminas incurrit, ἃς δέχεται ὁ ἀήρ, quippe quae hoc ipso temporis momento in aves commutentur. Idem fit de Tereo; is enim αὐταῖς συναναβαίνει καὶ ὄρνις γίνεται. Fugit igitur luscinia, persequitur eam Tereus. Ita, inquit, ἐφύλαξε τὸ μῖσος καὶ μέχρι τῶν πτερῶν, usque ad id tempus, quo in upupam commutatus est. Immitem enim et acerbum esse ut Terei, ita upupae animum veteres opinabantur, cum in loca deserta eam

se recipere solere recte observassent; nunc physici cum illa fabula non sint illecti, causam eius rei extremam aviculae timiditatem esse cognoverunt.

Quod autem accipitrem ab Homero dici parvis aviculis mortem inferre supra dixi, id breviter Aeschylus significat Suppl. v. 62, cum dicit ὄπα τᾶς Τηρείας μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου, κιρκηλάτας ἀηδόνος, hoc enim falso ita intellexerunt, ut Aeschylum putarent dicere Tereum in accipitrem esse mutatum, ut H. W. Roscher in Lexico Mythologico vol. II p. 751; recte autem scholiasta τῆς ὑπὸ κίρκων ἐλαυνομένης. Nam Tereus vel Philomelam vel Procnen persequitur, non upupa iam mutatam in volucrem lusciniam, cantu suo filium interemptum lamentantem. Ne fragm. 304 quidem cum dicit upupam aliquo anni tempore pennas accipitris induere, Aeschylus dicere vult, mutatum in accipitrem esse Tereum, qui apud primum invenitur Hyginum fab. 45. Neque magis est quod consentiamus cum Welckero et E. Odero, qui upupam hic confundi putant cum cuculo. Quamquam enim legitur apud Aristotelem Anim. Hist. l. VI c. 7 par. 41, cuius verba Plinius Nat. Hist. l. X c. 9 p. 25 in Latinum convertit, paene dixerim verbis Ciceronis usus, non 'ut interpres, sed ut rhetor', cuculum a quibusdam dici fieri ex accipitre, quod hic apparere desinat, cum ille conspiciatur, tamen sicut uterque illum errorem redarguit atque refellit, ita ne apud Aeschylum quidem ullam accipitris cum cuculo confusionem esse arbitror. Qui Terei moribus commotus est, ut comminisceretur upupam, in quam ille mutatus esset, ab initio veris usque ad initium aestatis formam quoque cum moribus ab accipitre effingere.

Ut igitur ad Aristophanem redeam, convenienter naturae is locus, quem ab upupa dicit inhabitari, appellatur v. 54 πέτρα, v. 92 ὕλη, v. 207 et 224 λόχμη (coll. v. 737). Omni vero rerum naturae peritia destitutus videretur Aristophanes, si upupam serio faceret dicentem v. 159 νεμόμεσθα δ' ἐν κήποις τὰ λευκὰ σήσαμα καὶ μύρτα καὶ μήκωνα καὶ σισύμβρια. Ridicule enim illam inducit sese ipsam in numerum earum avium adscribentem, quae bacis granisque vescuntur, cum re vera non nisi scarabaeis et omnis generis insectis alatur, praesertim eis, quae in stercore vel luto inveniuntur, qua de causa a Plinio Nat. Hist. l. X c. 30 p. 86 'obscena pastu avis' appellatur.

Deinde quod Aristophanes upupam inducit lusciniae, quae apud eum Procne est, ut docet v. 665, non maritum solum, sed etiam amantissimum, cum dicat τὴν ἐμὴν ἀηδόνα v. 203 et σύννομέ μοι v. 209, atque ipse quoque Ityn videatur deflere non ut a matre necatum, sed ut mi-

sere mortuum—hoc enim verbis v. 212 τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν Ἴτυν videtur contineri—certo credendum, hac re non mediocriter delectatos esse spectatores Athenienses, quippe quibus fabula de Tereo notissima esset. Neque minus sine dubio eidem delectabantur illo carmine, quo upupa uxorem, quae ipsa quoque post prandium meridiat, e somno excitat. Risum enim movere videtur upupa maritus, qui ipse canendi rudis iactat cantum uxoris διὰ θείου στόματος ἱερόν v. 210 et 213, qui ad coelum usque permanet διὰ φυλλοκόμου σμίλακος v. 215. Hederae autem, quae apud Sophoclem est, locum apud Aristophanem tenet smilax aspera, quae nunc a Graecis ἀρκουδόπατος vel ἀηλιάκα vocatur, quam Th. de Heldreich l. c. p. 560 dicit praesertim iuxta ripas fluviorum una cum rosa sempervirenti alte eniti in platanis aliisque arboribus. Nam Aristophanes eadem manifesto loca spectat quae Sophocles, circum collem Coloneum iacentia. Quae nemo magis diserte atque perspicue videtur descripsisse quam A. Boetticher in libro qui inscribitur Auf griechischen Landstrassen p. 193. Sed idem smilacem omisit, fortasse quod hederae est similis; sicut enim hanc, ita smilacem ἐπαλλόκαυλον, φύλλον κιττῶδες esse, uvas autem pendere κιττοῦ τρόπον, παρεγγίζειν δὲ μᾶλλον πρὸς τὴν σταφυλὴν Theophrastus auctor est Hist. Plant. l. III c. 18 p. 11, ἑλίσσεσθαι autem ea περὶ τὰ δένδρα ὡς ἄνω καὶ κάτω νεμομένην Dioscorides Mat. Med. l. IIII c. 142. Similis est descriptio luci cuiusdam apud Achillem Tatium l. I c. 15 ἐνίοις τῶν δένδρων τῶν ἁδροτέρων κιττὸς καὶ σμῖλαξ περιεπεφύκει, ἡ μὲν ἐξηρτημένη πλατάνου καὶ περιπυκάζουσα ῥαδινῇ τῇ κόμῃ· ὁ δὲ κιττὸς περὶ πεύκην ἑλιχθεὶς ᾠκειοῦτο τὸ δένδρον ταῖς περιπλοκαῖς, καὶ ἐγίνετο τῷ κιττῷ ὄχημα τὸ φυτόν, στέφανος δὲ ὁ κιττὸς τοῦ φυτοῦ. ἄμπελοι δὲ ἑκατέρωθεν τοῦ δένδρου καλάμοις ἐποχούμεναι τοῖς φύλλοις ἔθαλλον... τὰ δὲ ἄνθη ποικίλην ἔχοντα τὴν χρόαν ἐν μέρει συνεξέφαινε τὸ κάλλος καὶ ἦν τοῦτο τῆς γῆς πορφύρα (lacuna) καὶ νάρκισσος καὶ ῥόδον.

Ut autem Varro de Lingua Lat. l. IIII c. 11 recte dicit lusciniam luctuose canere existimari atque esse ex Attica Progne in luctu factam avem—haec enim omnium erat opinio—ita upupam quoque mortem Ityos deflentem primus Aristophanes videtur induxisse, ut animos spectatorum suo more commoveret. Fortasse Socrates Platonicus ipse quoque εἰρωνείᾳ quadam usus Aristophanem spectavit, cum pulcherrimo illo loco Phaed. c. 35 p. 85 A olores dicit morientes canere non quod maereant, sed quod brevi tempore se una cum Apolline domino suo fore gaudeant, atque οὐδέ αὐτή, inquit, ἥ τε ἀηδὼν καὶ χελιδὼν καὶ ὁ ἔποψ, ἃ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν· ἀλλ' οὔτε ταῦτά μοι φαίνεται λυπούμενα ᾄδειν οὔτε οἱ κύκνοι.

V. 676 chorus lusciniam ipsam appellat ξουθήν, ut Aeschylus Agam. v. 1142, v. autem 214 dicit ἐλελιζομένης γένυος ξουθῆς, quod Euripides mutuatus est Hel. v. 1111; v. 744 denique chorus avium, cum lusciniam ut Musam silvestrem alloquatur, sibi quoque γένυν ξουθήν esse dicit. Atque hoc quidem mihi non est dubium, quin apud Aristophanem et Aeschylum ad colorem aviculae sit referendum hoc epitheton. Quo fuscum colorem significari plerique dicunt, ut Dindorf in Lexico Aeschyleo (Pischinger germanice vertit braeunlich); sed cum physici in colore pennarum lusciniae ferruginis quandam similitudinem observent, satius duxerim ferrugineam eam appellare. At verine est simile γένυν quoque ita posse appellari? Quod qui fieri posse negant, ut Meineke, mobile guttur dici putant probavitque hoc Henricus Schmidt in libro qui inscribitur Synonymik der griechischen Sprache vol. III p. 35, cum proprium esse videatur Graecorum, commutare inter se ea, quae aspectu sentiantur, colores et celeritatem motus. At simplicius videtur utrumque poetam, quoniam ipsa luscinia ξουθή sit, enallage quadam usum guttur quoque eius ξουθὸν appellare.

Postquam upupa μέλος ἀπὸ σκηνῆς ad tibiae sonum absolvit, v. 222 παρεπιγραφή· αὐλεῖ indicat interponi carmen tibicinis lusciniae cantum imitantis, sicut est in scholiis μιμεῖταί τις τὴν ἀηδόνα ὡς ἔτι ἔνδον οὖσαν ἐν τῇ λόχμῃ. Quod quo modo fecerit, incertum. Hoc monere non alienum duco, quod Plinius Nat. Hist. l. X c. 30 § 84 scire se ait homines esse repertos, qui sonum lusciniarum addita in traversas harundines aqua foramen inspirantes linguaeve parva aliqua opposita mora indiscreta redderent similitudine. H. A. Lenz quoque in illo libro, quo quae veteres de animalibus memoriae prodiderunt, collegit, p. 297 adn. 906 auctor est reperiri, qui ex arte imitandi luscinias pecuniam faciant.

Post lusciniae carmen, quo tantopere delectatur Euelpides, alter tacere eum iubet, quoniam upupa accingatur ad artificiosum cantum v. 226; manifesto enim μελῳδεῖν ironice dictum est, quasi cum luscinia ulla esset upupae certandi ratio; e παρασκευάζεται autem colligendum, histrionem ridiculo aliquo modo se comparare. Atque est cur rideamus. Incipit enim upupa carmen, quo ceteras aves ad contionem convocat, a sua voce minime suavi. Cum autem v. 203 καλοῦμεν αὐτούς dixerit i. e. se una cum uxore illas convocaturam, voces aliquas lusciniae interponit, id quod spectatorum risum non minus movisse veri simile est. Sunt autem hae v. 228 ἰὼ ἰὼ ἰτὼ ἰτὼ ἰτώ, v. 237 τιὸ octies repetitum, v. 243 τριοτὸ τριοτὸ τοτοβρίξ, v. 260 τοροτοροτοροτοροτίξ, v. 262 τοροτοροτοροτορολιλιλίξ. Qua in re non ineptum videtur Aristophanem comparare cum aliis, qui

lusciniae cantum litteris exprimere conati sunt. Est autem descriptio Bechsteini, hominis doctissimi aviumque naturae sua aetate inter Germanos peritissimi, qui cantum eum XXV versibus contineri ait — apud A. Brehmium in libro qui inscribitur Das Leben der Vögel, emisso anno MDCCCLXI p. 545—deinde Itali cuiusdam, qui libellum qui inscribitur Ruben, hilarotragedia satiropastorale emisit Parmae a. MDCXIIII, paucaque Angli cuiusdam hominis, quae apud Blaydesium sunt. Qui inter se ita consentiunt, ut primam lusciniae vocem reddant sono tiuu (vel tiun, ut Italus); deinde cum Aristophane consentiunt de v. 237, quem Bechstein ita reddit tiō tiō tiō tio tio tio tio tix, Italus quinquies repetito tio; versus 243 loco apud Bechsteinum et Italum est qutio, qutio, qutio, qutio et zquo, zquo, zquo, zquo; v. 260 Bechstein reddit ita: zorre zorre zorre zorre hi, v. 262 lü lü lü lü ly ly ly ly lî lî lî lî, v. 243 duodecies repetita syllaba zo.

In oda quoque et antoda parabaseos Aristophanes chorum facit lusciniae vocem imitantem, v. enim 738 et 770 dicit τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιοτίξ, v. 741 et 744, 773 et 775 τιὸ τιὸ τιὸ τιοτίξ, v. 747 et 779 τοτοτοτοτοτοτοτοτοτίξ, quae omnia etiam magis respondent descriptioni Bechsteini.

Quibus lusciniae vocibus Aristophanes in fine carminis praeter exspectationem, ad risum movendum, absurdam interponit vocem surniae noctuae vel strigis κικκαβαῦ (v. 261).

V. 739 chorus Musam λοχμαίαν appellat ποικίλην propter varietatem cantus lusciniae. Aelianus autem De nat. an. l. XII c. 28 ἡ ἀηδών, inquit, διὰ τοῦ θέρους ...μεταβάλλει τὸ φώνημα· οὐ γὰρ ᾄδει πολυήχως καὶ ποικίλως. Ad quem locum Jacobs: 'verba haec colorem habent poeticum, unde tamen ducta sint, non reperio'. Ex Homero scilicet et Aristophane. Sed l. I c. 43 cum idem dicit ὀρνίθων λιγυρωτάτη καὶ εὐνουστάτη, καὶ κατᾴδει τῶν ἐρημαίων χωρίων εὐστομώτατα ὀρνίθων καὶ τορώτατα, ubi pro εὐνουστάτη Hercher legit εὐμουσοτάτη, λιγυρωτάτη et εὐστομώτατα dixit Sophoclis memor, apud quem Oed. Col. v. 671 est ἁ λίγεια et v. 18 εἴσω κατ' αὐτὸν εὐστομοῦσ' ἀηδόνες.

Denique Aristophanem spectant versus (88 sqq.) carminis, quod Theodori Prodromi esse suspicatur V. Regel, qui primus eos edidit in Commentariis Ministerii Instructionis publicae Petropolitani a. MCMI,

ἔφθασεν ἡμᾶς ἡ καλὴ κωμῳδία,
ξουθὰς ἀνυμνήσασα τὰς ἀηδόνας,

ἱππαλεκτρυόνας τε τοὺς ἐν Περσίδι,
τὰς μὲν λαλοῦντα ζῷα καὶ ζῶσαν φύσιν,
τοὺς δ' ἐν πέπλοις μάλιστα κατεστιγμένους,

ut est Av. v. 676 et Ran. v. 937 sqq. Conf. Nauck ad Aesch. fr. 134 et Dindorf ad fr. 136.